

Infunde per aliquot horas in

Aquæ calentis, sufficienti quantitate.

Leviter bulliat, quiescat, & decanta. Alteram
aquam superaffunde, bulliat ut supra. Decanta. Id-
que repete, donec aqua insipida evaserit. Materia
superstes exsiccata nuncupatur TERRA DULCIS
VITRIOLI.

Magnes arsenicalis.

Rx. Antimonii Hungarici
Sulphuris flavi,
Arsenici crystallini pulveratorum, } ana uncias
duas.

Mixta omnia cucurbitula vitrea excipiantur, igne-
que arenæ moderato in magnesiā colliguescant,
quæ refrigerata fervetur.

Aerugo, sive viride Aeris.

Rx. Laminas Cupri, quot volueris.

Stratum super stratum cum vinaceis stent donec
Aerugine efflorescant, quam absterge & serva.

V I T R A.

Vitrum antimonii.

Rx. Antimonii pulverati, libram unam.

In olla fictili non vitrata calcina igne leni in cine-
reum pulverem, spatha indefinenter movendo.
Hunc pulverem mitte in crucibulum, & igne fol-
lium colligua. Fusam materiam supra patinam
æneam effunde. Concreset in vitrum Hyacinthi-
num, si bene successerit operatio.

Hepar antimonii.

℞. Antimonii crudi, } ana quantum volueris.
 Nitri pulveratorum, }

Misce in mortario ferreo, tum injecta pruna ignita fiat detonatio; refrigerata materia Hepar a scoriis separabitur.

Crocus metallorum.

℞. Hepatis Antimonii tenuissime triti, quantum volueris.

Aqua calente ablue dum insipida materia superfit.

F I N I S.



INDEX